



## **Codex diplomaticus Brandenburgensis**

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für  
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche  
Haus-Angelegenheiten

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

247. Kurfürst Friedrich berichtet dem Papste den Tod des Erzbischofes  
Friedrich zu Magdeburg und verwendet sich für die Wiederbesetzung des  
erzbischöflichen Sitzes durch den Erzbischof Heinrich von ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56597)

247. Kurfürst Friedrich berichtet dem Papste den Tod des Erzbischofes Friedrich zu Magdeburg und verwendet sich für die Wiederbesetzung des erzbischöflichen Sitzes durch den Erzbischof Heinrich von Bremen, im Jahre 1464.

Beatissime in cristo pater et domine, domine Clementissime. Post humillimam secundum meam deuotionem obedientiam tam debitam quam deuotam. Non sine graui mee mentis dolore et merore sanctitati vestre Reuerendissimi in cristo principis et domini frederici Antistitis Magdeburgensis mortem, qui vndecima die mensis huius diem in hoc mundo suum clausit extremum, presentibus intimo et insinuo. Quicum idem religiosam et mundam vitam nec non opera pietatis, in quibus erga suos et alienos fideliter exercuit, quasi lucerna lucens inter nebulas gloriose refulsit in templo dei, Ita ut stella clericorum in hac parte cecidisse per eius obitum videatur, Ac non solum ecclesia Magdeburgensis, verum etiam tota natio nostra, cuius primatum tenuit, quasi patre orbata apparet. Idcirco maiori dolore pro tanti prefulis obitu crucior. Preterea cum districtus principatum et dominorum nostrorum cum limitibus prefate ecclesie fines faciant, adeo ut si honorem et quietem omnium ecclesiarum dirigam, tamen ipsius ecclesie Magdeburgensis tum propter dulcem vicinitatem tum propter eius eminentiam, quam vltra ceteras nationis nostre ecclesias gerit, salutem sollicitius quero et desidero, Et ideo interim cruciari fidei cura non desii, quis illic pater constitueretur. Diligenti itaque discussione mei ipsius repperi et penso ad honorem et salutem ipsius ecclesie feliciter conducere, si Reuerendissimus in cristo pater dominus hinricus, Archiepiscopus Bremensis, qui ex vno de Illustrium Brunswicensium et Lunenburgensium ducali et ex altero latere comitum de Swartzpurg insigni prosapia originem traxit, vir omni utique respectu commendatissimus et vtilissimus defensor, prefate ecclesie preficeretur. Ea de re S. vestre humillime oro, quatenus predictum dominum Henricum ad prefatam ecclesiam auctoritate apostolica transferre dignemini, In quo S. v. ecclesie predictae salubriter prouidebit Et mihi, qui ex libro experientie loquor, gratiam faciet humiliter et fideliter promerendam etc. anno etc. LXIII<sup>to</sup>.

Vestre S. humilis et deuotus filius  
Fredericus etc., marchio brandenburgensis.

Sanctissimo in cristo patri et domino, domino Paulo, diuina prouidencia Sancte Romane et vniuersalis ecclesie Summo Pontifici, domino meo clementissimo.

Nach dem Concepte des Geh. Staatsarchives.